



M. ANTONII
SABELLICI,
RERUM VENETARUM

AB URBE CONDITA,
DECADIS QUARTÆ,

LIBER II.



Rat jam res Veneta superior, fuissetque non multo post cum Hercule debellatum, nisi Xysti Pontificis subita defectio Venetum non solum possessione victoriæ deiecisset, sed in summum etiam discrimen belli adduxisset. Nam post Malatestæ ducis mortem Pontifex, & Hieronymus Vicecomes, cujus ductu omnia gerebantur, sensim alienati, aperte tandem ad hostes defecere. Noverat ita eventurum Franciscus Diedus, qui tum, ut diximus, ad Pontificem orator erat; idque per literas Principi & Pa-

1483
*Romanus
Pontifex
nova fede-
ra secutus
a Venetis
defecit.*